



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton

Augustæ Vindelicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio CVI. Christus in cruce mortuus, & tot vulneribus transfixus
piis lacrymis à nobis est deplorandus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)

Principissa de Subaudia suo tempore exhumatum est, ut decentiori loco & in pretioso sarcophago collocaretur, prorsus incorruptum, ac suavem emittens odorem repertum est. O pretiosa mors Sanctorum ejus! De quibus Vates Regius: *Exultabunt Sancti in gloria*; S. Hieronymus legit: *Exultabunt Sancti in cruce*. Imitemur nos pium ac poenitentem latronem, qui peccatum suum confessus, Christo Crucifixo publicum innocentiae testimonium dedit: *Hic nihil mali gessit*. Unde Luc. 23. 42. S. Chrysostr. ser. de cruce & latr.

R. S. Chrysostr. Crux erat regnum Christi in hac terra; si vis ad regnum illud & aeternum pervenire, ama Crucifixum JESUM.



CONSIDERATIO CVI.

Christus in cruce mortuus amaris lacrymis à nobis est deplorandus.

Aspicient ad me, quem confixerunt, & plangent eum quasi super unigenitum. Zach. 12. 10.

I.

Josias Rex Juda gloriosissimus, juxta ac pientissimus, ubi cunctas de universis regionibus filiorum Israel abstulit abominationes, fecitque omnes, qui residui erant in Israel, servire Domino Deo suo, tandem in praelio à Pharaone Nechao per immiffos sagittarios, stans in curru suo regio occisus est, cui summo cum luctu & lacrymis omnes subditi, sed praecipue Jeremias parentarunt: *Univer- 2. Par. 35. 24. sus Israel & Jerusalem luxerunt eum: Jeremias maxime.*

Josias, subintrat hic Cornelius, fuit proavus & typus Christi, quem crucifixum & mortuum longè meliori jure deplorent Christiani omnes, quia pro illorum causâ & salute mortem tam indignam in cruce perpeffus est. Et quis, obsecro, Christianorum, si unigenitum Dei Filium pio intuitu in cruce intuetur confixum, vulneratum, mortuum, ac tam indigna pro nobis indignis tam amanter patientem non

D d d 3

amet,

S. Bonav in
Stimulo div.
amoris,

amet, non deploret, & ex commiseratione non in amaras diffuset lacrymas? Proinde bene S. Doctor Seraphicus: *Quid, ait, fructuosius esse potest, quàm ex toto corde compati amarissima passioni Jesu Christi Domini nostri?*

I. Mach. 9.
19.

2. Judæ Machabæo, gloriosissimo belli duci & fortissimi animi principi, quia pro honore Dei tuendo, atque pro patriæ salute conservanda interfectus est, omnis populus Israeliticus amaris parentavit lacrymis: *Et steterunt cum omnis populus Israel planctu magno, & lugebant dies multos, & dixerunt: Quomodo cecidit potens, qui salvum faciebat populum Israel?*

Hebr. 6. 6.

Plus hîc in cruce, vel in sinu dolorosæ Matris repositus crucifixus Amor noster; Ecce anime mi: *Quomodo cecidit potens, qui salvum faciebat populum Israel?* Et tu ingrattissime mortalium! ne quidem unicam ob tam acerbam Filii Dei necem profundis lacrymulam? O brutum, ô cautes! si flere non potes oculis, cur saltem cor tuum non fleat ob innumera, quæ per omnem vitam perpetrasti delicta, imò & de novo novis peccatis tibi crucifigis Filium Dei? Audi Apostolum: *Et prolapsi sunt: rursus renovari ad penitentiam, rursus crucifigentes sibi metipsum Filium Dei, & ostentui habentes?*

Ezech. 8. 14.

3. Ezechiel Propheta in Babylone tunc existens, subito in spiritu raptus est in Jerusalem, ubi inter alia in templo vidit ad portam atrii exterioris diversas mulieres Adonidem filium Cinaræ Cypriorum Regis in juventute florentissima occisum vehementi ejulatu deplorantes: *Et ecce ibi mulieres sedebant plangentes Adonidem.*

Thren. 4. 20.

Christus est noster Adonis & DEus amoris, quem in cruce extinctum non solum afflictissima Virgo & Mater ejus, Maria Magdalena, Salome, Joanna atque aliæ piæ luxerunt mulieres, sed & etiamnum luget tota Ecclesia in hebdomada Sancta & quotidie in missa veri fideles, atque ad lugubrem in meridie campanarum pulsûm, ubi suum in cruce contemplantur Sponsum sanguinum pro salute sua extinctum. Et tu quid facis? Ergone adhuc stas immotus, anime mi?

Thren. 5. 16.

Quare non ingemiscis cum Propheta Threnologo: *Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris: Cecidit corona capitis nostri: Vana nobis, quia peccavimus; propterea mæstum factum est cor nostrum, idèd conturbati sunt oculi nostri.*

4. Consule S. Franciscum Seraphicum, qui, cum ævo suo, refrigerente ferè omni charitate Christiana, vidisset, quòd Christus JESUS & hic crucifixus, à populo vix grato adhuc revolveretur animo, in uberrimas lacrymas sæpè sæpiùs resolutus, imò & effusus est. Cum hanc ob causam & ob tam amarum fletum rogaretur ab amicis, respon-

respondit: *Se flere Christum crucifixum, & mundum oblitum.* Ita est, mundus, heu quàm immundus oblitus est etiamnùm hodie Creatoris ac Redemptoris sui crucifixi JESU, omnes enim quærunt quæ sua sunt, & pauci, ah pauci, quæ sunt crucifixi JESU.

5. S. Coleta filia spiritualis hujus S. Patris Seraphici singulari pietatis gustu & acutissimo doloris sensu meditari solebat Christum crucifixum. Cùm missam audiret, & à Sacerdote sacra elevaretur Hostia, semper in largissimas profusa est lacrymas, quia fide vivâ credebatur hic adesse Christum JESUM & hunc crucifixum, quem vehemētissimo complectebatur amore; Proinde meruit à S. Joanne Apostolo Christo per anulum desponsari, & è Mariæ Matris dolorosæ sinu Christum vulneratissimum in gremium suum recipere. O si tali quoque amore Christum JESUM & hunc crucifixum persequeremur, quàm citò in alias & perfectiores mutaremur personas? O si vel minimum fidei haberemus, fleremus utique ad elevationem Sacræ Hostiæ, quòd peccatis ac delictis nostris fuerimus hujus cruenti in monte Calvario Sacrificii authores, cujus memoria singulis diebus in Ecclesia Catholica à Solis ortu usque ad occasum in altaribus recolitur.

6. S. Elisabetha Regis Ungariæ filia, ubi die quodam festo cum aula numerosa & regio ornata amictu in templum se contulit, mox, ubi crucem & in ea suffixum orbis Redemptorem conspicata est, in uberes ac piissimas lacrymas solvi cœpit, intusque in anima acerbo torqueri dolore: *Quid, dicebat intra se, Deus ac Salvator meus in crucis pendet ac moritur patibulo, & ego gemmis, auro, purpurâque fulgeo: Ille spineam coronam gestat, & ego auream: Ille inter latrones, hostes & derisores; Ego turbâ famulorum me cingentium cingor; heu me miseram, quòd tam malè meum sequar & imiter Salvatorem! Hæc & similia attentiore secum perpendens animo, corruit in terram, velut exanimis, & ubi tandem ægrè ad se reversa est, ad pedes Crucifixi statuit immutare vitam, Christumque humilem ac pauperem pro viribus imitari, quod & re ipsâ fecit, prout pluribus ejus testatur vita. Habet hic sequior & nequior sexus, quomodo, deposito omni fastu, discat meliùs impostèrum servire Deo &c.*

7. In mentem hęc mihi venit Christianus ille Anonymus & Marti- tyrgloriosus, de quo Cantipratanus, quòd captus à tyranno Gentili semper in captivitate sua plorans ac gemens incesserit, cùmque ex eo aliquando tyrannus hujus assidui planctus & mœstitiæ causam inquireret, respondit: *Semper tristis incedo, quia mortis Dei mei memor, continue in corde meo passionis ejus stigmat a porto.* Indignatus ad hoc responsum

Mancin, lib.
4. differ. 9.

Nadal, in
anno cœlesti
6. Martii,

Vita & Hieron. Platus.
c. 17.

Cantiprat. l. 2.
Apum c. 25.

sum tyrannus sine mora iussit, ut huic suo captivo mancipio cor evelleretur, & in partes dissecaretur, in quo perfectissima Christi crucifixi effigies inventa est; ex qua re & prodigio commotus Gentilis ad Christum conversus, & sacro baptismatis fonte ablutus est. O Christiani! *Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus adversum semetipsum contradictionem; ut ne satigemini, animis vestris deficientes, nondum enim usque ad sanguinem resististis, adversus peccatum repugnantes.*

Hebr. 12. 3.

Vita & Cornel. in Epist.
1. Cor. 1.

8. Finem huic Considerationi faciat B. Jacoponus victor sui egregius, qui, ut gulam post conversionem suam frangeret, aliasque superaret tentationes, carnes putidas & enormiter fatentes orinaribus applicavit, donec ardor edendi evanuerit; & licet vir fuerit nobilis ac litteratus, ex cruce tamen Christi didicit mundo stultescere; Rogatus aliquando à Christo Domino sibi apparente peramicè & familiariter, quare hanc stultitiam ita adamaret; Reposuit pio lepore, ut solebat: *Quia stultior me fuisti, Domine.* Incredible est, quantum aestimaverit & dilexerit Christum JESUM & hunc crucifixum, cujus sacram imaginem nunquam sine lacrymis aut pio affectu solebat aspicere, quam sæpius per vicos & plateas civitatis consueverat portare, clamans cum lacrymis lugubri voce: *Amor*

1. Cor. 16, 22. *non amatur: Amor non amatur; Amantur divitiæ, honores, voluptates, vanitates, stultitiæ &c. Sed amor non amatur.* O

Christiani! *Qui non amat Dominum nostrum Jesum Christum, anathema sit.*



CON-